

§. 4. Cæterum dum Magiam *Theoreticam* juxta atq; *Præ-*
fixam dividimus in *Naturalem* seu *Licitam*, & *Dæmoniacam* seu
illicitam; hanc illi opponimus non contradictoriè, sic enim
nihil eslet; nec contrariè, sic enim positiva res eslet; non rela-
tivè, sic enim ad illam referretur; sed privativè. Defectum
enim ejus notat, quem in subjecto idoneo supplere conatur
Dæmon, ceu *B. Sperlingius l. sæpius citato* id diducit.

§. 5. Magiam *naturalem* s. *licitam* partim qualitates oc-
cultæ cum manifestis altiùs perspectis; partim stupenda ho-
minum opera solius naturæ vi peracta probant evidentissimè.
Sunt enim Naturæ vires inæstimabiles aliisque magis, aliis mi-
nus patet,

Quid calor efficiat, quid terra, quid humor & aër,

Quid generent undæ, magni primordia cæli,

Unde maris fluxus, variisque coloribus iris,

Reddere quid faciat clamorosa tonitrua, & orbes

Quæ secreta faces noctes, quæ causa Cometas

Proferat, & tumidas quæ cæca potentia terras

Concutiat, quæ sint auri, quæ semina ferri,

Totaq; naturæ vis ingeniosa latentis &c.

Sic Naturalia sunt, cum Deastri gentilium aut Papistarum lo-
co se moverunt; cum Mahometis feretrum ferreum, aut simu-
lacrum Chirocratis architecti aut signum solis in Serapidis
templo, in medio aeris suspensum pependit, cum papyrus in
Museo pendula modò huc, modò illuc, sine motore, qui in sen-
sus quidem incurrat, rapitur: cum ferrum supra tabulam sal-
tat, cum exercitus arenarum planâ in tabulâ in cornua sua di-
visi præliantur invicem, cum extinctam nuper candelam de
pariete accendimus, cui naphtha illita; cum speculis ustivis ve-
stem ac domum comburere possumus; cum fænum non satis
arefactum horrea, & fimus columbinus mediâ hyeme tecta co-
lubarum incendit; cum Belgæ classem Hispanicam ad Ant-
verpiam sub undis exusserunt; cum lucernæ supra mille an-
nos in sepulchris arserunt; cum Circulatores & agyrtae agilita-
te membrorum mirabilia præstant, &c. Hæc etenim supra na-
turæ vires posita non sunt.

B. 2.

§. 6. Ma-